

Boleste traditi et concessi, de quo instrumento publico prout superius est expressum, promittens nihilominus quod fratres ipsius Lutoldi Nitenhoffe existentes in quodam castro, ubi res ipsius fuerant perductae, absque suspicione habere vellet et eos sine impetitione libere dimittere ex eo, quod non sunt culpabiles in hoc facto et eis insciis hoc spoliū fuerat perpetratum, quemadmodum ipse Lutoldus sub iuramento affirmabat. Memoratus vero dominus Swanthoslaus istam concordiam in omnibus suis punctis pro se et suo domino magistro Petro prout habuit in mandato promisit irrevocabiliter observandam, quam etiam dictus Lutoldus Nitenhoffe cum aliis suis sociis videlicet Dobrisch et Erasmo Kamiin iuxta suprascripta sub bona fide ratam et gratam inviolabiliter observare promisit ꝛc.

Nach dem Liber Rudolphi fol. 86^b im Stiftsarchiv zu Meissen.

No. 892. 1416. 4. Juli.

Die Bischöfe Jacob von Plock und Johann von Lavour Commissarien des Constanzer Concils fordern den Probst zu Budissin und den Archidiakon der Lausitz Domherren zu Meissen auf genau zu untersuchen, ob die Behauptung des Pfarrers zu Göda, dessen Kirche und Parochianen vom Concil mit dem Interdict belegt worden, dass der Strassenraub (No. 888. 891) nicht von Gemeindemitgliedern und ohne deren Vorwissen und Beihülfe begangen worden, auf Wahrheit beruhe, und bevollmächtigt sie solchenfalls das Interdict Göda betr. aufzuheben.

Jacobus Plocensis et Johannes Vaurensis dei et apostolicae sedis gratia episcopi per sacrosanctum generale Constanciense concilium in spiritu sancto legitime congregatum causarum ad ipsius sacri generalis concilii cognitionem pertinentium una cum reverendis — dominis Matheo Pistoriensi et Roberto Sarisburiensi eadem gratia episcopis collegis nostris cum illa clausula: Quatinus vos tres aut duo vestrum iudices commissarii et auditores specialiter deputati, venerabilibus et circumspectis viris dominis . . praeposito ecclesiae Budissinensis Misnensis diocesis ac archidiacono Lusaeciae in ecclesia Misnensi salutem in domino et mandatis nostris huiusmodi immo verius dicti sacri concilii firmiter obedire. Noveritis nuper praefatum sacrosanctum concilium certam contra perturbantes spoliantes impediētes ac alias male et enormiter tractantes personas venientes ad ipsum concilium et alia concilia in futurum celebranda ac curiam Romanam necnon stantes in eisdem ac ab eis recedentes sub formidabilibus gravibus poenis fecisse constitutionem huiusmodi sub tenore:

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis universalem ecclesiam repraesentans in spiritu sancto ad extirpationem scismatis haeresiumque ac errorum necnon ipsius ecclesiae in capite et in membris debitam reformationem legitime congregata ad futuram rei memoriam. Iustitiam et aequitatem exerceri non dubitatur, si quos noxiae voluntatis adeo captivat perversa intentio, quod processibus apostolicis impudenter obviare et auctoritatem sanctionis canonicae contempnentes in aliorum prolabantur iniurias et offensas, ecclesiastica censura procellat et pro demerito culpae rigorem adiiciat iudiciariae potestatis. Nam si quilibet per campum licentiae freno deposito modestivo vagaretur impune, facile quisque saeviret in proximum et nervus